



Thomas Major Dunn

De grammaticis et rhetoribus antiquis et de literarum Imperio Romano everso restitutoribus : Dissertatio historica ...

Rostochii: Typis Academicis Adlerianis, MDCCCLXVIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1687582491>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

DE
GRAMMATICIS ET RHETORIBUS
ANTIQUIS
ET DE
LITERARUM IMPERIO ROMANO EVERSO
RESTITUTORIBUS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES


RITE CONSEQUITUS

SCRIPTAM EDIDIT

THOMAS MAJOR DUNN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

RECTOR LUDI LITERARII QUI EST IN URBE „BRIERLEY HILL“ IN COMITATU
STAFFORDIAE, REGII COLLEGII PRAECEPTORUM LONDINENSIS SODALIS.



ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVIII.

I. De veteribus Grammaticis.

Apud veteres in Graeca et Romana civitate literarum auctores et studiosos doctrinarum scientia sive polymathia in omnibus liberalibus disciplinis ac quocunque studiorum genere versabatur ac duabus praecipue linguis Graeca et Romana veluti involucris tegebatur. Ea aetate nemo ad philosophiae, quae omnium scientiarum summam tunc complectebatur doctrinam, properabat, nisi antea diligentem in utriusque linguae auctoribus posuisset operam et in grammaticis et rhetoricis studiis naviter desudasset. Percepta mox philosophia, alii certae se tradebant disciplinae eamque solam profitebantur; alii vero, varietate ac diversitate scientiarum capti, in late patente studiorum campo, nullis circumscripti limitibus, vagabantur et cum omnes artes et doctrinas perlustrarent omnesque auctores, nullo habito discrimine, legerent, literati sive Grammatici¹⁾ inde praecipue dicti fuerunt.

Initio vero Grammaticorum munus magis ad linguae elementorum, ut vocum originis literarumque naturae et affinitatis investigationem atque explicationem, quam ad methodicam seu artis praecepta spectasse Grammaticosque tunc sola literarum rudimenta docuisse et humili tantum

¹⁾ Cic. de orat. 1. 42. Suet. de ill. Gram. 4.

conditione in civitate usos esse verisimile est. Nam tenuis a fonte omnis ars fluit¹⁾.

At non multo post Aristotelis aetatem eorum auctoritas simul cum artis quam colebant gravitate multum increvit et demum Alexandrinorum temporibus cum maxime claruit. Tunc enim tam late extenderunt Grammatici regni sui fines, ut non solum omne scriptorum genus pervagarentur ac poëtas, historicos, jurisconsultos, medicos, oratores, philosophos excuterent atque enarrarent, sed etiam tanquam periti censores malorum scriptorum vitia notarent ac foetus spurios et supposititios a veris et genuinis distinguerent et vindicarent. Tanta auctoritate apud antiquos tunc fruebantur Grammatici, ut omnium scriptorum soli iudices et censores essent atque ad bibliothecas, libris undique conquisitis, instruendas a regibus ac principibus adhiberentur. Hi vero in legendis et excutiendis veterum monumentis tam severe iudicio suo usi sunt, ut, quemadmodum Quintilianus tradit²⁾, non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso inscripti viderentur, tanquam subdititios submovere familia sibi permiserint, sed et auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino scriptorum numero exemerint. Ceterum Grammatici apud Graecos semper praeceptores privati erant. Apud Romanos quoque ante imperatorum dominationem non nisi privatim instituebant. Nam licet sub finem reipublicae atque incipiente imperatorum aetate, cum Graecorum artes et literae apud Romanos plurimum valebant, jam summum honorem ac laudem magnamque mercedem consequerentur³⁾, porro in scholis, quae Athenis, Tarsi, Rhodi, Alexandriae, Apolloniae,

¹⁾ Quint. inst. orat. II. 1. 4.

²⁾ Idem I. I. 4. 3.

³⁾ Suet. de ill. Gram. 3. 7.

Massiliae florebant, insigni gratia pollerent et sine dubio quoque honoraria a civibus urbium illarum obtinerent, tamen priusquam Hadrianus regnaret, publici praeceptores non constituti fuerunt. Hic imperator cum Grammaticos et Rhetores tum Philosophos in summa familiaritate habuit, Athenaeum in capitolio exstruxit totamque rem scholasticam publicam reddidit. Ab hoc tempore Romae plurimi praeceptores publici e Grammaticis eligebantur, sed in minori- bus provinciae urbibus, ubi publica instituta non erant, Grammatici praeceptores privati manserunt. His vero jam multo ante Hadrianum amplissima praemia non defuisse constat. M. Antonius Gniphō, quod de mercede non pa- ciscebatur eo plura ex liberalitate discentium impetrabat ¹⁾; Remmius Palaemon ex schola quadragena annua capiebat ²⁾: tantidem docendum conduxit Calvinum Esicium equitem Romanum L. Appuleius. Verrius Flaccus habitationem in palatio et sestertia centena in annum ab Augusto meruit ³⁾, taceo servos literatores immanibus pretiis emptos, dein manumissos. Julius Caesar addidit honorem omnes libera- lium artium doctores civitate donando. Quemadmodum dein Vespasianus Rhetoribus primus ex fisco annua centena constituit, sic ab Trajano honor et dignatio tanta sapientiae professoribus ac dicendi magistris collocata sunt, ut per eum spiritum et sanguinem et patriam recepisse praedicent Plinius et Juvenalis. De Hadriani erga Grammaticos favore jam diximus: quibus omnibus Antoninus Pius per omnes provincias et honores et salaria detulit constituitque, ut me- tropoles gentium quinque tuerentur Rhetores totidemque Grammaticos, reliquaeque minores civitates ternos haberent.

¹⁾ Suet. de ill. Gram. 7.

²⁾ Idem ibid. 23.

³⁾ Idem ibid. 17.

Salaria, quae e fisco iis decreta, mille drachmas statuunt Lucianus in Eunuchō et Philostratus in Theodoto ac Chresto, h. e. Romanae monetae sestertia quadraginta, aureos quadringentos.

Post Antoninum Pium Grammaticis imprimis a Constantino I, qui Byzantii academiam condidit, cui viginti Grammatici et octo Rhetores adscripti fuerunt, itemque a Valente, Valentiniano II, Theodosio II, Valentiniano III multa privilegia et commoda conferebantur.

Veterum Grammaticorum disciplina.

Ad accuratam disciplinae, quam Grammatici colebant, cognitionem cum pertinere videatur, ut etiam, quomodo ea inventa sit explicetur, a re non alienum existimo, antequam literarum genera, quae ambitu suo amplexa sint, describam, pauca de universo Graeciae statu ejus temporis, quo Alexandri Macedonis duces omnia tenebant, atque de ipsa Ptolemaeorum sede praemonere. Multis scriptorum testimoniis facile cognoscimus, post Alexandri tempora plane diversam ab illa quae praegressa erat studiorum rationem fuisse. Etenim cum Philippi consilia nondum eo valerent, ut libertatem Graecorum in discrimen adducerent, literae Graecae animi praestantia quadam ac magnitudine ornatae conspiciuntur. Ingenia hominum, nullo adjuvante, suo splendore excellunt, ita ut summa deorum gratia Graecis, quippe qui communi quodam societatis vinculo continerentur, contingere videretur. At quanta rerum mutatio Alexandrum secuta est! Quamquam enim civitatum principes magna beneficia, quibus antea nusquam usi erant, in homines eruditos literis colendis conferebant, tamen fortuna populorum ita comparata est, ut, quasi confecto Graecorum

cursu, literae jacerent atque in alienam terram confugerent. Cujus rei causas si accuratius investigare vellemus, longos esse nos oporteret. Hoc tamen praetermittere non possumus, nostra opinione, neque Philippi in universam Graeciam auctoritatem, neque divitias ex Asia transvectas, neque turbas bellicosas post Alexandri mortem per Graeciam excitatas neque studia Sophistarum et Rhetorum, qui, cum literas plerumque ostentationis et quaestus causa excolerent, omnium fere liberalium artium et doctrinarum naturam pulerique sensum in hominum animis deleverunt, dico, neque haec omnia neque quae reliqua sunt ejusdem generis effecisse, ut Graeci paulatim degenerarent, quamquam vim magnam ad eos corrumpendos habuerunt. Sed altius causae repetendae sunt. Facile enim unusquisque mecum consentiet, et singulorum hominum et cunctorum populorum fortunam divino numine constitui ac regi et ingenium, ubi summa quaevis attigerit, de fastigio isto sensim delabi. Itaque hoc judicio Graeci illius temporis sortem suam explevisse mihi videntur, unum populum non amplius effecerunt, gloria in rebus publicis obscurata est et evanuit, et literarum amor in alienas terras migravit, quarum principem locum Aegyptus tenet. Praeter alias autem urbes Alexandria caput regni, summam in literis gloriam assecuta est, quod principes ejus scilicet tres primi Ptolemaei maximam literarum colendarum curam habebant. Ptolemaeus Lagi libros manuscriptos in multis terris congerere, viros doctos ad se vocare, Ptolemaeus Philadelphus plures etiam libros Rhodi et Athenis emere, Aristotelis bibliothecam a Neleo sibi comparare ¹⁾, scholam clarissimam et certamina poetarum instituire. Philadelpho regnante Zenodotus, regiae biblio-

¹⁾ Athen. I. 2.

thecae praefectus, primus Homeri carmina correxit atque in ordinem redegit. An quoque Pindarum, Anacreontem, poëtas cyclicos, ut alii putant, ediderit, incertum est, at quin omnem operam suam ad artem criticam et grammaticam accommodaverit, dubitari non potest, quare hujus artis auctor merito habebatur. Critica vero, praecipua grammaticae pars, circa duo potissimum versatur, circa obscurorum illustrationem, et circa genuinorum scriptorum a spuriis distinctionem. Ultima haec pars, quae consistit in discernendo scripta vera et germana ab adulterinis, primum criticae videtur dedisse originem, quae ars vix in usu fuit antequam corrumpi coeperunt veterum librorum tituli et falsi ac monstrosi foetus pro legitimis suppositi sunt. Ante tempora enim regum Alexandriae et Pergami nullum fere opus adulteratum et falso inscriptum fuisse probabile est, quod lucrum ista ex fraude faciendi occasio tum non tam opportuna quam regum illorum temporibus fuit ideoque ad eam committendam minus tendebat, sed cum, ut commemoravimus, illorum praecipue aetate multi undique conquirentur libri et maximo ardore ac summo pretio colligerentur antiquissimorum auctorum volumina ad instruendas et exornandas bibliothecas, lucripetarum avaritia et librariorum non nisi auro inhiantium fraudes nova ac recentia scripta, mutato titulo pro veteribus venditaverunt, ut scilicet libri illi antiquitatis veneratione eo carius venirent, eodem plane furore, quo subdoli artifices, ut operibus majus conciliarent pretium, suo marmori adscribebant Praxitelem aut trito argento Myronem. Ad has autem fraudes detegendas et a genuinis scriptis falsa et adulterina dijudicanda Grammatici eo tempore primum omnem adhibuerunt industriam interque eos praeter Zenodotum praecipue hac in parte versati fuerunt Eratosthenes, Aristophanes, Apollodorus aliique.

Verum non tantum in titulis librorum corrumpendis pudorem transgressi sunt avari illi ac fraudulentum homines, sed et tota nobilium auctorum scripta aut dolo malo invertunt aut si qua mutila ac negligenter habita reperissent, inconsulte ac temere ex arbitrio suo suppleverunt. Hujus rei cum innumera in antiquitate supersint vestigia, unum prae ceteris luculentum est exemplum in Apelliconte Teïo, qui cum Aristotelis scripta a Nelei Scepsii posteris, metu Attallicorum regum, terrae diu infossa et occulta ac carie jam paene erosa, sibi ingenti pecuniae vi comparasset, quaecunque in iis lacera, corrupta ac mutila invenit, confidenter ad libitum supplevit et multis mendis inquinavit. Unde factum est, ut non tantum plurima in Aristotele corrupta fuerint, sed multa quoque aliena ac falsa ipsi attributa, immo et integra aliorum opera ipsi adscripta sint, qui fucus praecipue natus fuit ex nominis similitudine, per quam factum est, ut aliis eximiis scriptoribus non pauca supposititia fuerint adjudicata. Unde criticorum sollertia, quae prius maxime occupata erat in probatione legitimorum et illegitimorum foetuum, tunc praecipue vagari coepit circa distinctionem auctorum, qui eodem saepe nomine insignes floruerunt, ut vero et non fucato auctori restituerent ea, quae alii temere sibi vindicaverant, et ut quaecunque vel inepta vel eximiis scriptoribus indigna immeritum inter eorum opera locum occupaverant, inde exulare juberent et ad pristinum dominum pedem referre. Hae in parte industriam suam praecipue tunc exercuerunt Demetrius Magnesius, Simaristus, Dionysius Sinopensis, Artemo, Cassandreu et multi alii.

Ita adhibita iudicii norma egregiam antiquis monumentis operam praestitit critice, quae justos foetus veris parentibus asseruit aut illegitimos vel monstrosos abortus tolli

vetuit et alienae reliquit adoptioni. Et hoc quidem in studio in primis immoratus fuit Grammaticorum labor, qui distinguendis et secernendis antiquorum operibus praecipue operam dederunt.

Ex his autem ultro patere arbitror, ad primam hanc critices partem requiri virum non levi aut perfunctoria eruditione tinctum, sed qui ex diligenti et sedula omnium fere veterum auctorum perlectione solidam eorum acquisiverit notitiam ac iudicii ope sermonis genus, dicendi modum, stylum ceterasque in iis dotes probe notare et quid ab ipsa scriptoris manu profectum aut ab otio abutentibus et sibi sapere visis sciolis insertum et admixtum sit, discernere valeat. Deinde vero arto hoc includi spatio non contenta, critice latius coepit vagari. Nam quum olim aequae atque hodie libri ab imperitis ac rudibus scribis inemendate ac vitiose admodum exararentur, fieri non potuit, quin ex corrupta et parum accurata scriptura innumeri in optimis auctoribus orti fuerint errores: hinc critici modum ac rationem circumspicere et indagare coeperunt, qua non tantum obscurata et intricata illustrarent atque enarrarent, sed et inemendata et vitiosa loca castigarent et integritati suae restituerent. In hoc autem genere inter veteres maxime claruerunt Aristarchus, Cassander Macedo, Callimachus, Apollonius Rhodius, Didymus, Asclepiades Myrleanus, Zenodotus junior et similes numero non pauci, qui non solum Homero operam navabant, sed etiam Hesiodo, Tragicis, Comicis denique omnibus iis scriptoribus, qui ex libera Graecia praestantissimi iudices et interpretatione dignissimi viderentur.

Jam prius quidem in Socratis, Platonis et Aristotelis scholis scripta exponebantur, sed ars critica nondum exercebatur, variae tamen librorum lectiones tantae erant, ut

nunquam inter se viderentur consentire posse. Hoc autem maxime Homeri carminibus accidit. Quam ob rem dubium esse non potuit, quin schola Alexandrinorum studia ab Homero inciperet. In scriptoribus vero dijudicandis et interpretandis Alexandrini non acquieverunt, sed item Aristophanis et Aristarchi tempore constituebant de scriptorum pretio, quos in certos ordines, *τάξεις* dictos, redigerent. In ordines autem recipiendos curabant eos, qui legendo maxime digni habebantur.

Postremo Alexandrini satis feliciter elaborarunt in constituendis dialectis, prosodia et in conscribendis lexicis. Cum ad philologiam maxime se applicassent, non multum studii tribuebant historiae componendae, praeter quam, quod res gestas, quae apud poëtas aliosque scriptores inveniebantur et hominum vitas explicarent. Cum his studiis Grammatici literarum institutionem jungebant, qua juvenes, postquam in Grammatistarum scholis literarum rudimenta imprimis legendi, scribendi, Arithmeticorum artem didicerant, uti solebant. Hanc institutionem non brevi atque angusto inclusam fuisse gyro, sed tam recte et eleganter loquendi et scribendi rationem, quam artem metricam et criticam, poëtarum et historicorum Graecorum Latinorumque interpretationem, ne multa, omnium fere maximarum artium scientiam complexam esse ex Quintiliano intelligimus¹⁾. Historiam fabularem, figmentis poëticis scatentem, Grammaticos quoque explicuisse eosque in ea tradenda saepissime ac libentissime quaestionibus levibus ridiculisque operam dedisse, quandoquidem fabulas illas ad ineptias usque explorarent, Suetonius narrat²⁾. Graecorum iste morbus fuit, quaerere, quae nomina iis fuissent, qui in equo Trojano

¹⁾ Quint. II. 1. 4.

²⁾ Suet. Tib. 70.

latuissent; quem numerum remigum Ulixes habuisset; prior scripta esset Ilias an Odyssea: deinde Romanos quoque invasit inane studium ea discendi, quae sciri non poterant aut ad cognoscendum prorsus inutilia erant¹⁾. At praeter has nugas Grammatici sibi proposuerunt quaestiones tales, quales dignae essent quae solverentur, cum ad historiae explicationem maximum momentum haberent. Illam igitur studiorum rationem, quam amplius describere non dubitavimus, primus Crates Mallotes sive Pergamenus inter secundum ac tertium bellum Punicum (588 a. U. C.) Romanis transtulit assidueque disserendo ad imitandum Romanos excitavit²⁾, quamquam nonnullis, Suetonio testante³⁾, Livius Andronicus (514 a. U. C.) et Q. Ennius (553 a. U. C.) grammaticae rationis principes Romae fuisse visi sunt. Postea magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut temporibus quibusdam viginti et amplius scholae celebres in urbe fuerint⁴⁾, et ne clarissimi quidem viri abstinerent, quo minus et ipsi aliquid de ea scriberent. Inter hos praecipue laudandi sunt apud Romanos Varro, Nigidius Figulus, L. Crassitius, Caecilius Epirota, Asconius, Valerius Probus, Gellius, Festus Donatus et plures alii, quos recensere supersedeo. Quin et ipse Cicero quamvis summus orator et vir consularis, nihilominus tamen Grammatici seu critici partibus functus, est ejusque frater Quintus Lucretii poema emendare non dubitavit; similiter ut Varro togatorum ille doctissimus tanta diligentia Plautinas comoedias recensuisse dicitur, ut ex centum et triginta fabulis, quae Plauto adscribebantur, unam et viginti tantum genuinas probaret,

¹⁾ Sen. de brev. vit. 13.

²⁾ Suet. de ill. Gram. 2.

³⁾ Idem ibid. 1.

⁴⁾ Idem ibid. ep. 3.

quae inde a veteribus Varronianae dictae sunt. Multi alii viri illustres ac celebres exinde in Grammatica excolenda inter se aemulati sunt. Ab eo enim tempore usque ad Romani regni cum ceteris eversionem, quando, arrepto ac dilacerato ab incultis et efferis gentibus imperio, barbaries dominari coepit, nulla aetas fere praeterlapsa est, qua non flourerint semper quidam ex Grammaticorum ordine.

II. De Rhetoribus.

Rhetorum doctrinae origo atque progressus.

Ante Periclem et Thucydidem, qui jam adultis Athenis vixerunt, nulla litera invenitur, quae ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur ¹⁾. Illorum autem alter omni genere virtutis florebat et eloquentia tanta pollebat, ut Olympius, tonans fulmenque ciens, diceretur ²⁾, alter acutus, brevis, subtilis, sententiis magis quam verbis abundans ³⁾, Ciceronis sententia, omnes dicendi artificio facile vicit ⁴⁾, quamvis nunquam sit nominatus orator ⁵⁾. Huic aetati suppare Alcibiades, Critias, Theramenes, qui pariter atque Thucydides grandes erant verbis et crebri sententiis. Artem et praeccepta, ait Aristoteles, quem Cicero in Bruti capite duodecimo laudat, Siculos Tisian et Coracem conscripsisse. Non ita multo post, cum Gorgias Leontinus in concione Atheniensium, quod societatem civibus suis petebat, multa eleganter atque artificiose dixisset, adeo omnium animos

¹⁾ Quint. III. 1. 12. Cic. Brut. c. 7. 27.

²⁾ Arist. Acharn. 536. Plut. Pericl. 8. Cic. de Orat. I. 50. III. 34.

³⁾ Cic. de Orat. II. 14.

⁴⁾ Id. ibid. II. 13.

⁵⁾ Id. ibid. Or. 9.

commovit, ut summa admiratione afficerentur¹⁾. Quare ut intellectum est, quantam vim haberet et accurata et facta quodammodo oratio, multi docendi magistri exstiterunt, quorum clarissimi Gorgias, Thrasy-machus, Protagoras, Prodicus, Hippias, alii. Instituebant autem illi homines ad illustrium rerum disputationes, quae communes loci, *θέσεις*, dicebantur, ita ut in rebus laudandis aut vituperandis versarentur²⁾. Mox accessit ad illas exercitationes aliud dicendi genus, quod Graece *ἐπιδεικτικόν* dictum a forensi contentione aberat et voluptatis causa excultum esse videbatur³⁾. Res orationibus sibi sumebant ex mythologia petitas, sed, quo maximum damnum attulisse videntur, philosophicas subtilitates orationibus inserere coeperunt.

Exstitit igitur Isocrates, cujus domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi; magnus orator et perfectus magister⁴⁾, cujus meritum est, ut verum eloquentiae momentum et finem primus recte cognoverit. Nam Sophistarum captiosae cavillationis inimicus et oppug-nator, argumenta ad horum philosophiam fallacem et litigiosam spectantia spernens, dicendi rationi politicae totum se applicare, eloquentiae basin moralem superstruere eamque ad ipsam vitam revocare non dubitavit⁵⁾. Quare patris eloquentiae laude, a Cicerone ei tributa⁶⁾, dignus esse videtur. Ex Isocratis autem ludo meri principes exierunt: sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt⁷⁾. Cum autem tempore eodem, quo Isocrates,

¹⁾ Diodorus XII. 53.

²⁾ Brutus 12.

³⁾ Orat. 11.

⁴⁾ Brut. 8. conf. de Orat. II. 22.

⁵⁾ Isocr. de perm. § 3. Nicocl. § 6 sqq.

⁶⁾ Cic. de Orat. III. 2.

⁷⁾ Idem. II. 22.

philosophia Aristotelis floreret, qui etiam aliquam rhetoricae curam habebat, duae quasi familiae, ut Ciceronis verbis utar¹⁾, erant, quarum altera in philosophia versabatur, altera ad dicendi genus ejusque praecepta se applicavit. Quae cum ita essent, multi et praeceptores et scholae inveniebantur²⁾, prout quisque aut Aristotelem aut Isocratem sequendo artem rhetoricam tractaret. Sed etiam fieri solebat, ut philosophia et rhetorica conjunctim traderentur. Unum deinde conflatum est dicendi genus, cum ea, quae ab utrisque commode dici videbantur, in artes conferrentur³⁾, sed fuit genus mollius atque remissius.

Demetrius Phalereus enim successit, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat. Processerat enim in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit: et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis⁴⁾. Ab illo enim id dicendi genus inventum esse traditur⁵⁾, quod fictas fori consiliorumque materias tractabat, etsi Quintilianus affirmare non audet, quasi non satis compertum sit.

Qui quidem Demetrius tametsi in domo Ptolemaeorum viveret, tamen non potuit Alexandrinis contingere, ut, quae regni conditio erat, eloquentiae studium excoleretur. At in ipsa Graecia et Asiae oppidis multi erant, qui rhetoricam docerent et diversas in arte opiniones secuti ludos aperirent, quibus nomen imposuerunt. Hermagoram enim plurimi

¹⁾ De invent. II. 3.

²⁾ Quint. inst. orat. III. 1.

³⁾ Cic. de invent. II. 3.

⁴⁾ Idem. Brut. 9. cf. Orat. 27 et de offic. I. 1.

⁵⁾ Quint. inst. orat. II. 4.

secuti sunt, cui maxime par atque aemulus videtur Athenaeus fuisse. Multa postea Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius praeceperunt. Praecipue tamen in se convertit studia Apollodorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit: Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar. Hi diversas sententias professi sunt¹⁾, appellatique deinde Apollodorei et Theodorei. Sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas, quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Graece Atticus²⁾. Longum est caeteros omnes, qui arte tradenda claruerunt, commemorare, sed reliquum est, ut addantur nomina eorum, quos Suetonius insignes Romae fuisse rhetores narrat. Sunt enim L. Plotius Gallus, L. Otacilius Epidius, Sex. Clodius, C. Albutius Silus et qui reliqui sunt³⁾.

Posteaquam ita breviter quemadmodum fieri potuit, expositum est, quomodo ars rhetorica apud Graecos inventa sit atque exulta, ad munus Rhetorum definiendum propius accedam. Sed priusquam rem meam persequar, memoranda est consuetudinis mutatio, qua L. Plotius Gallus juvenes ad rhetoricam Latine instituere coepit⁴⁾, id quod plurimum valuit, ut ex eodem Suetonio satis apparet, ad artem colendam. Ex Suetonii loco Ciceronem loquentem faciam: „Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam, mihi idem non licere. Continebar autem

¹⁾ Suet. in Aug. c. 89. Strab. 1. 13. Quint. II. 21. Quint. III. 1. 1.

²⁾ Quint. inst. orat. III. 1.

³⁾ Conf. Suet. de clar. Rhetor.

⁴⁾ Suet. de clar. Rhet. 2.

doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.“ Idem affirmat Quintilianus his verbis: „Latinos vero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse Cicero auctor est: quorum insignis maxime Plotius fuit.“ Contra illos autem, qui Latini rhetores dicebantur, edictum est a Cn. Domitio Aëno-barbo et L. Licinio Crasso censoribus a. U. 662, quem quidem annum Plinius confirmat in historiae naturalis principio libri XVII, quamquam Pighius hos censores refert ad annum 661, fastos Capitolinos secutus. Ab illo igitur tempore latini Rhetores exstiterunt; neque amplius dubitatio commemoranda est, cui Suetonii¹⁾ et Gellii²⁾ verba locum dederunt mire in eo consentientia, senatusconsultum de philosophis et Rhetoribus Latinis a. U. 592 factum esse. Pighii enim sententiam, qui vocem Latinis ejiciendam esse judicavit, omnino amplexus est Casaubonus his verbis: „Cum in proximo edicto ad 70 annos post facto novum dicatur genus Rhetorum latinorum, priores illos magistros verisimile est Graecos fuisse³⁾.“ Fuisse autem Graecos, qui circa annum 592 studium Philosophiae et Rhetoricae Graece excitarent, historia comprobatur, cum mille Aethiopes, Perseo devicto, a senatu in urbe et Italia diutius detinerentur. Cum igitur illi homines et otii et vitae sustentandae causa rhetoricae studio se tradidisse videantur, facile fieri potuit, ut etiam Romanos ad simile propositum adducerent. Praeterea illud senatusconsultum apud Athenaeum et Senecam memoratum legimus. Quid autem judicandum sit de literarum studiis illius temporis, quo Rhetores eorumque dicendi ratio invalescebat, ut melius intelligatur,

¹⁾ De clar. Rhet. 1.

²⁾ N. A. XV. II.

³⁾ Casaubon. ad Suet. 1. 1.

nonnulla explanatius disserere non inutile videtur. Nam cum is Romanorum animus esse coepisset, ut multarum rerum cognitione usuque atque insignium exemplorum imitatione ex antiqua severitate mollior fieret, aurea illa quae dicitur literarum aetas paulatim enata est, in qua, cum et dominantes et subjectae gentes moribus ad mansuetudinem versis, artiori quodam vinculo cogerentur, quidquid boni honestique ingenium Romanum assequi poterat, effectum est. Hoc potissimum tempore sermo Latinus ad summum perfectionis gradum evectus maxime floruit, cujus rei causa fuit, quod orator, qui plurimam in lingua excolenda vim habet, in vita publica versabatur, ita ut publice et coram omnibus diceret neque legi sed audiri solitus esset. Interpositis vero paucis annis, quum imperatorum dominatio effecisset, ut orator a foro in scholas descenderet, poëta non aliis sed sibi ipsi caneret, oratio indolem foro et concionibus convenientem amisit omniaque humanitatis studia in pejus vertebantur. Cum purum illud et candidum genus ab integritate degeneraret et cujuslibet arbitrio formaretur, hic quasi novus Rhetorum et Poëtarum sermo increbuit. Quem qui ad calculos redigere volet, facile omnes, qui eo utebantur, scriptores hoc spectantes inveniet, ut facete dictis et quodam ingenii acumine excellant, in quo vitio ipse Tacitus est, alioquin praestantissimus. Fortasse etiam in ipsis literis Latinis causa corruptelae inveniri potest, quae tales sunt, ut consilium, studium atque artem prae se ferant; Graecis vero literis inesse satis apparet liberum et ingenuum candorem, quique ad naturam proxime accedit. Hae jam senescentes delectant veritate, illae, majore ornatu paulatim sumto, satietatem faciunt. Studium artis, quod Romani in scribendo sequebantur, facile fieri potuit, ut cum iudicium corrumpi coepisset, modum excederet atque ad audaciam

usque progrediens, falsam gravitatem sectaretur; idque factum cognovimus.

Denique restat, ut sermoni argenteae aetatis, quae dicitur, indicemus proprium esse usum cum in singulis verbis, tum in jungendis, in quibus licet consuetudo loquendi servetur, tamen novandi studium facile perspicitur. Abuti etiam solebant scriptores illius aetatis translationibus, unde commutatio orationis solutae et poëticae fluere debebat. Causas cur sermo Latinus in deterius verteretur, ingenia decrescerent et nescio qua iniquitate naturae eloquentia evanesceret, Seneca Rhetor sitas esse arbitratur sive in luxu temporum, quo nihil possit esse ingeniis magis mortiferum, sive quod omne certamen ad turpia translatum sit, cum praemium pulcherrimae rei deesset, sive in fato quodam, cujus maligna perpetuaque in omnibus rebus lex sit, ut ad summum perducta rursus ad infimum relabantur¹⁾. Similia Quintilianus²⁾ attulit: „Sed dicendi mutavimus genus et ultra nobis quam oportebat indulsimus“ et deinde: „Eo quidem res ista culpa docentium recedit, ut inter praecipuas, quae corrumpent eloquentiam causas, licentia atque inscitia declamantium fuerit.“ Ut senioris quoque aetatis rationem habeamus, quomodo juvenes apud Rhetores instituti fuerint, Petronii verba memoranda sunt: „Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum timore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut, cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil in iis, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident³⁾.“

1) Sen. controv. I. prooemio.

2) Inst. orat. II. 5. 24.

3) Petron. Satir. I. conf. II. 2. et dial. de orat. 35.

Idem eodem libro: „Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant: deinde quum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt et eloquentiam, qua nihil esse majus confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus.“ Jam Cicero ¹⁾ omnes istos derideri atque contemni jubet, qui se Rhetorum praeceptis omnem oratoris vim complexos esse arbitrentur, neque adhuc, quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerint. Porro ep. 18: „Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata decantet, quum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium adspexerit.“ Ne quid vero relinquatur, quod ad imaginem illius temporis illustrandam pertineat, etiam eorum, qui carmina recitabant, mentionem faciam, in quos Persius vehementer invehitur ²⁾. Quibus praemissis, in primis mihi videndum est, quid sit id, de quo disputetur. Non eum autem rhetoricae finem esse Quintilianus declarat ³⁾, qui ad persuadendi vim referatur, sed eum, qui bene dicendi scientia cernatur. Eandem fere sententiam apud Senecam legimus, qui quamquam non semper fieri posse existimat, ut quod sibi proposuit orator, ubique consequatur, tamen omnia, ut a medico fit, tentanda esse requirit ⁴⁾. Quodsi imaginem illam, quam de arte sua Quintilianus animo conceperat ⁵⁾ respicimus, totum declamandi opus utilissimum fuisse videri possit et veritati proximum. Quare primo quidem tempore ita celebratum fuit, ut plerisque ad formandam eloquentiam vel solum sufficere posse videretur, sed paulo post, quod

¹⁾ Cic. de orat. III. 14.

²⁾ Pers. I. 17.

³⁾ Quint. II. 16. 11.

⁴⁾ Sen. de benef. VII. 13.

⁵⁾ Quint. I. 10. 4.

jam ille magister vehementer conqueritur, eo perductum est, ut diversum omnino a causis forensibus esset et scenicae ostentationi aut furiosae vociferationi simillimum. Itaque omnia ejus, qui declamationem parabat, quod copiosius Seneca confirmat¹⁾, eo spectabant, ut, argumentandi ratione relicta, lenociniis conquisitis placerent, quocirca omni modo, quae necessaria essent, deserere, quaeque vellent, respondere non dubitabant.

Postremo quod attinet ad Rhetorum institutionem, eorum erat non solum studia, quae juvenes, Grammaticorum auspiciis et ductu, in scriptoribus Graecis Latinisque posuerant, amplius excolere; sed imprimis quoque rhetoricae disciplinam penitus et accurate exponere et illustrare discipulorumque ingenia declamationibus et habendis et scribendis exercere²⁾.

III. De literarum, imperio Romano everso, restitutoribus.

Imperio Romano a CCCCLXXVI p. C. everso, plurimisque Romanorum ingenii monumentis barbarorum ferro, incendiis, praedationibus vastatis, literae quoque penitus fere extinctae sunt. Unus tamen et ultimus Latini sermonis scriptor, qui classe dignus aestimatur, initio Gothorum dominationis etiam floruit, Boethius, vir ingenio excellenti tantaque doctrina et elegantia orationis, quantam aetas ad barbariem inclinata vix capere potuisse videtur. Verum enimvero nihil venustius habuit vel illud aevum vel etiam

¹⁾ Sen. controv. V. prooem.

²⁾ Cic. de off. I. 1.

quod proximo antecessit, quam quinque libros de consolatione Philosophiae, quos ille paulo priusquam a Theodorico, Gothorum rege, ob affectatae libertatis suspicionem interficeretur, in carcere confecit.

Cassiodorus Theodorici praeceptor et cancellarius quoque in republica literaria bene versatus summaque doctrina et prudentia praeditus fuit, sed ejus opera, quae magna ex parte supersunt, corruptam eorum quibus vixit temporum latinitatem ubique referunt. Postquam vero hi viri praestantes non multo post medium seculum sextum ambo mortui erant, mox universa mentem humanam involvit ignorantiae caligo, quae posterum octingentorum fere annorum spatium obtinuit. Eo tempore optimi antiqui aevi scriptores locum cedere cogebantur nugacibus barbarorum libellis, aureaeque aetatis lautitiis exquisitissimis praeferebantur monachorum somnia insulsa. Sermo latinus, temporis progressu linguis adventitiis mutatus, a populo non amplius intelligebatur. Libri, arte typographica nondum inventa, rari et pretiosi erant nec sine difficultate circumferri potuerunt. Quidquid etiam erat eruditionis a clericis retinebatur. Hi autem verentes, ne superstitionibus multisque indecoris in veterum scriptis inventis corrumperentur et denuo in errores relaberentur animi, omnibus qui religionem profiterentur Christianam interdixerant, ne illa evolverent scripta.

In Hibernia et Anglia quidem seculo septimo aliquis literarum cultus effloruit. Hibernia enim eruditos peregrinos — qui tum saltem eruditi habebantur — sibi ascivit suisque scholis atque ecclesiis adscripsit. Ab his vero hominibus doctrina Grammatica paululum tantum exulta et aucta fuit. Hoc magis Angliae hujus atque octavi seculi literatis debetur, praecipue vero Theodoro, Episcopo Cantuariensi, postea Bedae venerabili dicto, qui a. DLXVIII a Pontifice

Romano huc missus, linguae Latinae atque adeo Graecae eruditionem in ecclesiis Anglo Saxonis diffundendam curavit, nec non Alcuino, Eboracensi, cujus ope Carolus Magnus, qui elegantiorum ipse literarum amoris non expertus fuit, in regno suo immenso, ubi ante eum nullum liberalium artium studium fuerat, complures instituit scholas Grammaticas. Quae quum jam insequenti pessum irent aetate, exigua mentis cultura iis exorta — nam prima tantum in vulgus sparserant literarum elementa — mox densa inscitiae et superstitionis iterum oppressa fuit obscuritate, quae quinque postera perduravit secula, ex quibus non nisi tres propter ingenii studia clari emicuerunt viri, Joannes Scotus Erigena, Alfredus Magnus, Anglorum rex, Gerbertus, postea nomine Sylvestri II Pontifex Romanus, quorum studia et conatus laudabiles, quibus literarum incremento et propagationi operam dabant, rebus temporibusque adversis, ultra ipsorum aetatem non valuerunt.

In Universitatibus seculis duodecimo et decimo tertio Bononiae, Parisiis alibique institutis, Philosophia Scholastica et Jurisprudentia Romana optime quidem excolebantur, literarum vero humaniorum studia, quae omnium fere scientiarum altricès sunt, inter angustos admodum terminos constiterunt. Praeterea Scholastica mira diligentia in corruptendis Aristotelis operibus, quae studiosorum gratia ex Arabico latine conversa erant, prosperrimo cum successu se occupavit, itaque acerrimi viri ignorantiae diu servierunt. Scholastici initio solae Theologiae in scholis coenabiisque vacabant, mox vero ad Philosophiam toti abrepti eam primo Theologiae miscere, exin eidem aequiparare, tandem et supra eam efferre conabantur. Factum illud partim postquam Philosophi gentiles Christo nomen dederunt et sapientia secularis in scholis Christianorum

locum invenit, partim et praecipue, postquam Philosophia Peripatetica, quae per aliquot secula neglecta jacuerat, per Arabes Muhammedanos excitata et exulta, Christianum orbem invasit. Suam laudem doctoribus Scholasticis non nego, existimans, si ad inexplebilem sitim veritatis et perpetuam ingenii agitationem adjunxissent varietatem et elegantiam lectionis et contemplationum, omnes artes et scientias ab iis mirifice provectas fuisse. At eorum ingenii et doctrinae dotes eximias spinosae illae subtilitates corruperunt, quas subtiliores etiam reddebant tot eorum viae, ut citius e Labyrinthis temet extrices, quam ex inexplicabilibus Nominalium, Realium, Thomistarum commentis.

Jurisprudentiae Romanae studium, quod praecipue floruit Bononiae, ubi Irnerius atque Accursius, Jurisconsulti clarissimi, jus civile Romanum tum docuerunt, licet literis ingenuis non parum profuerit, quum in Justiniani Codicibus multam antiquitatis doctrinam multamque obsoletam sermonis elegantiam invenirent quicumque eos evolverent, tamen parvam tantum hominum partem ad altiorem eruditionis gradum evehit, dum interim vulgus literarum luce etiam per secula orbis viam suam in obscuritate praetentare continuavit: donec tandem ex spissis illis inseitiae tenebris primum medio seculo decimo quarto caput extulit Franciscus Petrarcha, qui in hac ignorantiae nocte facem praeferre ausus, viam iterum ad antiquas elegantias aperuit.

Ingenio praestantissimo sensuque puro instructus vir ille eximius Ciceronis et Virgilii venustatibus tantopere delectabatur, ut eos ardentibus efferret laudibus, quibus in aliis eruditionis classicae desiderium excitavit. Porro veterum scriptorum monumenta, nulla laboris aut pecuniae facta ratione ubique collegit eorumque studio magis magisque excultus ipse opera praeclarissima italico latinoque ser-

mone conscripsit, quibus gloriae aeternae stipendium meruit. Denique propter Africam suam, poëma in laudem Scipionis Africani compositum, in Capitolio laurea corona ornatus, Petrarcha primus literarum instaurator, primus recentioris literaturae auctor, summo honore dignus publice agnitus est.

Ejus vestigiis insistentes deinde complures literarum amatores, quos inter Boccacius, Petrarchae discipulus, Collutius, Salutatus, Guarinus elucent, signa pro Musis a fuga jam revocatis sustulerunt omnesque nervos in id contenderunt, ut literae crescerent iterumque florent.

Causae cur tantum antiquitatis studium in Italia subito flagraverit tantoque ardore flagrare pertexerit, hae potissimum exstare videntur. Hoc seculo XIV quo renasci in Italia coeperunt literae amoeniores expoliri incepta lingua Latina, illic quoque scaturire coepit fons iste literarum earundem, unde per universas regiones occidentales defluerunt, et diffusi sunt uberrimi rivuli nunquam illi perituri. Hoc tempore enim a doctis plurimis Graecis lingua et literatura patriae in Italiam invectae sunt. In Calabria, quae olim Magna Graecia dicebatur, coloniis Graecis repleta, remansit quaedam linguae veteris cognitio utque etiam post illud seculum in multis istius regionis ecclesiis non Latine sed Graece peragebantur liturgiae sacrae: in reliquis vero Italiae partes tam raro inde demigravit eruditio Graeca, ut vix unus aut alter repertus sit, qui ea fuerit excultus. Petrarcham linguam Graecam edocuit Barlaamus Calaber, monachus Graece ipse magis quam latine doctus. Sed primus omnium Graecorum recentioribus seculis hanc linguam publice in Italia professus est Leontinus Pilatus, Thessalonicensis, Barlaami auditor, Boccacii vero praeceptor, cujus hortatu ad praelegendum Florentiae Homerum excitabatur circa medium istud seculum vel paulo post. Is

Boccacium per triennium erudivit et breve tempus Homerum, quem discipuli gratia latine soluta oratione reddiderat, Florentiae publice praelegit. In Boccacio vero periit quidquid Graecarum literarum in Italia severat Pilatus iste. Sed paulo ante exitum hujus seculi XIV Florentiae eas docere coepit Emanuelis Chrysoloras, eques Constantinopolitanus, ex majoribus Romanis, qui una cum Constantino M. Byzantium migraverunt, oriundus. Hic ad concilium Constantiae habitum legatus ibi obiit a. MCCCCXV. Annis XV post Chrysolorae obitum urbe sua a Turcis expugnata, in Italiam profugit Theodorus Gaza, Thessalonicensis, juvenis tum aetate, honesto loco natus, qui a cardinale Bessarione insigniter adjutus, latinam linguam ad unguem perdidicit, et Aristotelis historiam animalium, Theophrasti historiam plantarum, alia opera vertit. In Graecam vero linguam transtulit Ciceronem de senectute. Idem scripsit de mensibus et de origine Turcarum. Eodem fere tempore quo hic in Italiam concessit, Georgius Trapezuntius illius aemulus, qui Romae Rhetoricae et Philosophiae praeceptor plurimos auctores Graecos latine vertit, sed nimis Aristotelem admirabatur. Ineunte aetate MCCCCXXXVIII in concilium Ferrariense accessit Joannes Palaeologus, imperator Constantinopolitanus, doctissimorum virorum totius ecclesiae Graecae praeclaro agmine stipatus, ad unionem inter ecclesias Graecam et Romanam resarciendam. Inter eos enituit Bessarion, archiepiscopus Nizenus, patria Trapezuntius. Hic vir eruditus varia opera philosophica et theologica scripsit tantaeque fuit liberalitatis erga doctos viros, ut ejus domus artium liberalium officina diceretur, nec minus ipse in literis versabatur, Platonem imprimis observabat, in ejus defensionem commentarios edidit contra Trapezuntium Peripateticum. Inter eos, qui, Constantinopoli capta, in Italiam

profugerunt ibique linguam Graecam et literaturam politiorum illustrare coeperunt, principes erant Argyropulus et qui circa MCCCCLIX ad profitendum in Gymnasio Florentino a Laurentio de Medicis invitatus erat Demetrius Chalcondylas, Atheniensis natu. Romae primum, deinde Florentiae, postremo Ferrariae profitebatur Andronicus Callistus, Thessalonicensis, Philosophus Peripateticus, vir in literis Graecis ipsi Theodoro Gazae aut par aut etiam superior habitus. Circa medium hoc seculum (XV) seu statim post Constantinopolim captam inlarescere coepit Constantinus Lascaris Byzantinus, ex familia Lascarina imperatoria oriundus, qui primum Mediolani usque ad a. MCCCCLXIII vel etiam paulo ultra, postea Messanae in Sicilia summa cum laude Graecas literas docuit adeo, ut multi ex Italia et abusque Venetiis Messanam se conferrent, dum ibi ageret, ad linguam Graecam ediscendam. Illorum autem Graecorum eruditio quin ad Italicos, modo ex obscuritate emersos, humanitatis studiis excolendos tum plurimum valuerit, dubitari non potest, quum, literis latinis eo tempore tantum ex parte notis, omnis fere elegans doctrina et quod est politiorum disciplinarum, literis Graecis, quae praeterea omnium liberalium artium optimaestrae et nutrices sunt, nisum fuerit.

Deinde Italici, postquam veterum scriptorum delicias primoribus jam labris gustare coeperant, nova tum et inaudita ambitione ardebant. Quum fingerent enim, se esse Romanos, proavorum suorum acta et cogitata excellentia in majorem eorum gloriam exquirere et patefacere se debere putabant. Hinc flagrans illud, quo ineunte seculo XV Poggius Bracciolinus, Nicolaus Nicolai, Philelphus, Laurentius Valla aliique literarum sospitatores incensi fuerunt studium veterum ingenii thesauros in monasteriorum cellis

pulverulentis inventos perscrutandi et publicandi. Poggius, patricius Florentinus, qui sub octo pontificibus ab epistolis se constitutum fuisse ipse scribit, Italiam funditus exploravit, Galliam et Germaniam perlustravit, ut clarissimos scriptores deperditos inveniret atque in lucem proferret. Constantiae concilio durante, incidit in opera Quintiliani et Asconii: ibidem descripsit libros Ciceronis de Finibus et Legibus, qui nondum in Italia prius visi erant. Praeterea Lucretius, Columella, Valerius Flaccus, duodecim comoediae Plauti cum aliis vitam suam restitutam illi debent. Nicolaus Nicolai per omnem vitam libris emendandis et transcribendis operam laudabilissimam dedit et moriens ingens pro tempore librorum repositorium suum reipublicae usui legavit. Philelphus suae aetatis poëtarum et oratorum facile princeps, Constantinopoli Graecas reduxit Musas in Latium, artis oratoriae praecepta ad Ciceronis imitationem in omnibus Italiae academiis docuit nec non orationibus, dialogis, carminibus suum seculum illustravit. Laurentius vero Valla, patricius Romanus, Herodoti et Thucydidis interpres, librorum de Falso et Vero, de regno Ferdinandi Arragonii, de fictitia Constantini donatione auctor clarissimus, praecipue opere suo de elegantissimis sermonis Latini, quo primus docuit qua arte deceat hac lingua uti, famam meritam sibi quaesivit.

Tum hoc ipso temporis momento, quum ingens literarum exortum esset desiderium, tum doctrinae maximum praesidium a Guttenbergio Moguntiae in Germania inventa est Typographia. Post aliquot annorum decursum, orto dissidio inter Faustum et Guttenbergium, qui a. C. MCCCCLV judiciali sententia Moguntiae condemnatus fuit, haec ars cum inventore suo inde Argentinam concessit: clade deinde urbis superveniente, cum omnes huc illuc

diffugerent, toti arti innotescere coepit. Post Moguntiam Venetiis, ubi Nicolaus Jensen Gallus primum typos exercuit, prae omnibus aliis urbibus ars ista et bonae literae plurimum debent ob typos elegantiores, quibus hodie fere utimur, quique differentiae causa Veneti dicuntur, ibi primitus et quidem mature repertos. Hinc Romam festinavit ars, quo praeter Henricum Han, Conradus Sweinheimius et Arnoldus Pennartz eam intulerunt. Ante omnes tamen reliquas Italiae urbes Taurinum, Pedemontii metropolis Typographicam officinam exercuit, ut huic potius quam Germaniae Italiam primitivam typorum propaginem debere quidam putent. Sub finem vero seculi Venetias migravit Aldus Manutius, qui de humaniorum literarum instauratione optime meruit. Hic vir praestantissimus plurimos Graecorum scriptores in lucem primus edidit et Latinos emendavit. Idem typos Hebraicos primus in hac arte adhibuit, cum antiquissimi Typographi, si quae Graeca vel Hebraica vox occurrisset, vacua illic spatia relinquere solerent. Typi quidem primi rudiores fuere et continuis compendiis seu abbreviaturis, ut vocant, impediti, hanc vero deformitatem prae reliquis Aldi filius et Plantinus sustulerunt, quorum postremus etiam argenteis fusilibus literis usus fuisse dicitur. Post Aldum Manutium ejus filius Paulus, auctor correctionum et notarum in Ciceronem, versionis quatuor orationum Demosthenis, Proverbiorum etc., officinam patrimonio recepit, quam ipse filio suo Aldo juniore transmissit. Hic inter clarissima sui seculi ingenia eminet, sed tantae rei familiaris angustiae fuerunt, ut bibliothecam suam insignem a patre avoque ingenti sumptu et cura collectam, vendere fuerit coactus: qua octoginta millibus voluminibus constante, Pisani hodie gloriantur. Sic erudita familia Typographorum, quae summa ope conata erat barbariem ex Italia pellere, miseriis

cessit. Denique eodem hoc seculo (XV) summa inter diversos principes orta est aemulatio se doctorum largissimum ostendendi patronum. Quorum primum honorabili dignus est memoria Cosmus de Medicis, qui rempublicam Florentinam feliciter tum gubernavit, opibus immensis congestis. Nobilissimus ille vir eximia liberalitate sua undique viros doctos allexit librisque in omnibus urbibus conquisitis, insignem bibliothecam, quae a nepote aucta hodie Laurentiana appellatur, Florentiae comparavit, quam eminentissimam Musis constituit sedem. Ibi ad amicitiam et jucundissimam consuetudinem sibi adjunxit Poggium, Nicolaum, Leonardum Aretinum, Philelphum, Marsilium Ficinum, juvenem excellentem et sibi admodum carum, qui ejus desiderio et incitamenti adductus opera Platonica habitu Latino donavit. Ibi summa familiaritate eminentissimorum delectabatur architectorum, pictorum, sculptorum, fictorum, qui ejus auspiciis, praeclara illa confecerunt artis opera, quae etiam nunc Florentiae decus et gloria sunt. Ibi reipublicae saluti totus addictus omnique virtutis munere perfunctus, longinquam consumebat aetatem. Alphonsus quoque rex Neapolitanus literarum literatorumque fautor et patronus munificentissimus exstitit. Nunquam rex ille iter faciebat aut bellum aggredebatur, quin secum libros portaret, quo vacuis horis literis se delectaret. Nec non Nicolaus V, prius Thomas Sarzanus, sacerdos obscurus et pauper, Cosmi bibliothecae praefectus, Pontificium quum esset adeptus, se erga Graecos, nobiles virgines, egenas, literatos imprimis, benevolentissimum praebuit; librisque quinque millibus magno sumptu collectis, bibliothecae clarissimae Vaticanae fundamenta jecit. Denique non satis laudare possum Laurentium de Medicis, Cosmi nepotem virosque illos doctissimos, qui ejus favore fructi literis restituendis tanto successu vacaverint.

Laurentius de Medicis a patre cum imperio simul accepit eximias avi virtutes, quas adeo magno auxit incremento. Non Florentinis solum gratissimus sed ab omnibus Europae principibus maximi habitus erat. Eruditus ipse eruditos in aula sua magnifice fovebat eorumque disputationibus adesse cupiebat. Chalcondylan largis Florentiae retinebat muneribus, ut linguam Graecam ibi doceret suisque auspiciis ederet Homerum; Angelum Politianum, qui Graece latineque plurima eaque egregie scripsit multosque scriptores insignes temporum vastationibus corruptos in pristinam integritatem restituit, filiorum suorum institutioni praeposuit; Janum Lascarin, profugum Graecum, stirpe imperatoria, Constantini Lascaris, ut creditur, filium, in Graeciam remisit, ut manuscripta ibi colligeret suamque bibliothecam iis locupletaret; Joannem Picum Mirandolae et Concordiae principem, ingenii paene prodigiosi inque omni artium et literarum varietate mire excultum, sibi intimis amicitiae vinculis conjunxit; Barbarum Hermolaum, qui licet assiduis reipublicae muneribus distractus esset, literas tamen nunquam praetermisit, inter amicos quoque benignissime recepit. Sic in unumquemque suo dignum favore, plurimum contulit benignitatis. Artis opera porro multiplicanda curavit atque omnino ad summam prosperitatem provexit rempublicam. Optimus ille vir non amplius annos quadraginta quatuor natus e vita excessit, a Florentinis tanto deploratus moeroris excessu, ut ejus medicum Petrum Leonium, quod eum negligentius curasset, in puteum praecipitent.


Inter liberos Laurentii solus Joannes, filius ejus secundus, postea nomine Leonis X Pontifex Romanus, proavi patrisque vestigiis ingressus est. Hic singulari praeditus ingenio, ab Angelo Politiano, Chalcondyla aliisque viris doctis Florentiae liberali doctrina apprime eruditus litera-

rumque peramans, libris veteribus undique collectis, omnes qui in Italia essent literatos artificesque largis Romam prae-
miis allexit eorumque in circulo vitam beatissimam vixit, sed, minus religiosus, utpote cui religio de Christo fabula fuit, tanto fastu, ut uno die, quo coronatus fuit, decies centena aureorum millia expenderentur: ad quam lacunam resarciendam indulgentias liberales sed ecclesiae Romanae lethales concessit.

In Italia deinde eruditis majoribus copiis succreverunt Victorius, vir sui seculi doctissimus, inter Aristotelis interpretes eximius habitus; Sigonius Mutinensis, qui humaniores literas Patavii docuit; Pierius Valerianus Bellunensis, auctor clarissimus; Ursinus, Romanus, antiquitatis indagator acerrimus et deinceps undique ex aliis Europae partibus etiam in Italiam confluentes Muretus, Gallus, Latine Graeceque doctissimus; Antonius Augustinus Caesaraugustanus, unus ex eruditissimis suae aetatis et longo ordine plures alii. Mox etiam literarum incrementa ulterius coeperunt se extendere et non tantum in Germania exorti in commune bonum fuerunt Camerarii, Rhenani, Fabri, Gruteri et similes multi, verum et Gallia proventu maximorum in studiis heroum feracissima fuit, quorum Scaligeros, Turnebos, Casaubonos, Salmasios, Budaeos, Pithoeos, Sismondos, Juretos et quos omnes referre mora est acceptos referre debemus. Nec minor etiam in Belgio vigit copia illorum, qui criticam artem imprimis ad summum evexerunt fastigium, quo in labore ante alios desudarunt Erasmi, Junii, Canieri, Dousae, Lipsii, Grotii, Heinsii et praecipue incomparabile par J. F. Gronovius et J. G. Graevius, quibus ut aetate ita et meritis aequales suo jure adnumerandi sunt Perizonius, Bentleius noster, Porsonius, quem ipsum quoque jactamus, denique ceteri omnes viri praeclarissimi, qui signa illorum secuti felicissimam ac salutarem in prisca aevi reliquiis operam collocaverunt.

rumque peramans, libris veteribus und qui in Italia essent literatos artificesque miis allexit eorumque in circulo vitae sed, minus religiosus, utpote cui religio fuit, tanto fastu, ut uno die, quo corona aureorum millia expenderentur: resarciendam indulgentias liberales se lethales concessit.

In Italia deinde eruditissimis majoribus Victorius, vir sui seculi doctissimus, inter pretes eximius habitus; Sigonius Mutinensis literas Patavii docuit; Pierius Valerianus clarissimus; Ursinus, Romanus, antiquissimus et deinceps undique ex aliis Eruditi in Italiam confluentes Muretus, Gallus doctissimus; Antonius Augustinus Casaubonus ex eruditissimis suae aetatis et longaevis. Mox etiam literarum incrementa ulterius tendere et non tantum in Germania et Gallia numerum fuerunt Camerarii, Rhenani, Falgoutii, multi, verum et Gallia proventus maximorum feracissima fuit, quorum Scaliger, Grotius, bonos, Salmasios, Budaeos, Pithoeos, quos omnes referre mora est accepta. Nec minor etiam in Belgio viguit copia etiam in arte imprimis ad summum evexerunt labore ante alios desudarunt Erasmi, Lipsii, Grotii, Heinsii et praecipue in Gronovius et J. G. Graevius, quibus aequales suo jure adnumerandi sunt noster, Porsonius, quem ipsum quoque omnes viri praeclarissimi, qui signa illorum ac salutarem in prisca aevi reliquiis



the scale towards document

omnes
in prae-
vixit,
fabula
tes cen-
acunam
omanae
everunt
s inter-
maniores
auctor
or acer-
s etiam
aeceque
s, unus
res alii.
se ex-
une bo-
similes
diis he-
s, Casau-
retos et
lebemus.
criticam
quo in
Dousae,
par J. F.
t meritis
Bentleius
ue ceteri
cissimam
caverunt.